



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Ob quas causas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

6. Sed quis dispensabit Episcopum in suis votis; Respondeo, vel Archiepiscopus, cuius est suffraganeus, ut modo dixi, vel poterit ipse secum dispensare, vel denique committere suo Confessario, ut etiam extra Confessionem dispenset. Pari modo, Prælatum inferiorem regularem dispensabit Superior, v.g. Provincialis, Rectorem: vel ipse Rector sibi; vel denique committat suo Confessario, ut id etiam extra Confessionem, faciat: Ratio horum omnium est; quia, cum non repugnet hanc jurisdictionem dispensandi exerceri in seipsum, sive mediata, sive immediata, cum hæc sit voluntaria, & non contentiosa, nec ex se sit sacramentalis, quæ requirit distinctionem personarum; & ex alia parte dicti Prælati habeant plenam dispensandi in votis jurisdictionem, nec, quoad hoc, restrictam, ut supponimus, non est à nobis restringenda. Ita Sanchez late lib. 8. de matr. d. 3. contra Suar. tom. 2. de rel. lib. 6. de voto, cap. 11.

7. Quid de iisdem Prælati exemptorum, quoad suos Novitios? Respondeo: hos posse suorum Novitiorum vota dispensare, vel commutare probabilius est, cum Rod. Less. Bon. Sanchez apud Castr. d. 2. de voto, p. 10. n. 3. quia in eos habent omnem potestatem jurisdictionis, dom ipsi sunt subditi; esto non habeant potestatem dominativam, unde eorum vota irritare non valeat. Nec tamen iisdem Novitiis negatur posse ab Episcopo (certè eo, in cuius Diocesi domicilium habent, ex Sanch. lib. 4. in Dec. cap. 3. n. 19.) dispensari; quia ante professionem, non desinunt esse Episcopis subiecti.

8. De Prælati, & Confessariis cæteris Regularibus, quoad seculares, cum Religiosi nullam habeant jurisdictionem ordinariam in eorum vota, an nihilominus habeant delegatam ex privilegiis, mox ex citandis à n. 46. colligetur.

9. Superest innuere aliquid de Abbatissis. Afferro Abbatissas non posse dispensare, nec commutare suarum Monialium vota, licet eadem (quod est plus) possint irritare. Ita Rod. in comp. resol. 2. num. 12. Sanchez lib. 4. in Dec. c. 39. n. 7. aliisque. Ratio est, quia irritatio provenit à potestate dominativa, quæ ipsæ gaudent in subditas (non verò in Novitias, ut supra, c. 10. §. 3. n. 33. diximus) at dispensatio, & commutatio ortum ducit à potestate jurisdictionis, quæ de facto carent Abbatissæ.

Ob quas Causas.

10. Regula generalis hæc brevis esto: illæ causæ sufficiunt, quæ obstant executioni voti. Sed ecce nodus. Ecquænam sunt ejusmodi? Non valet id melius dignoscere, quam prudentis arbitrio; quod certè lucem concipiet ex examine aliquarum, ex quibus cæteræ poterunt non difficulter expendi, quas jam subijcio.

11. Præmitto tamen, Primò, quando causa, considerata gravitate voti, etiam ipsa gravis est, vel plures leves satis gravem conflant, absolute concedi posse dispensationem: at quando adest quidem causa, sed expensis omnibus, non adeò sufficiens, tunc adnoscendam aliquam esse commutationem, hoc est, subrogandum aliquid operis boni, quod dispensandis iudicio voti gravitatem compensare prudenter possit.

12. Præmitto secundò, stante causa, obligari Prælatum ad concedendum dispensationem. Ita Sanch. Castr. citandi, aliisque passim: quia potestas dispensandi ipsis data, est ad subditorum bonum; ut è contra, dispensare in voto gravi sine causa, est morale, ex Sanch. in Dec. c. 45. n. 3. quia juxta dicta n. 2. usurpatur autoritas sibi non concessa. Porro causæ ad dispensandum sunt sequentes.

Imperfecta Deliberatio.

13. Hæc sufficientem dat causam, etiam sola. Ita Suar. 2. de Rel. l. 6. de voto, c. 17. n. 8. juncto n. 14. Castr. 1. 3. de voto, p. 9. c. 6. contra Val. ibid. cit. quidquid aliqui Doctores dicant, qui ad sufficientiam petunt, ut præter imperfectam deliberationem, adsit alia causa, quale esset, v.g. periculum violandi votum, magna ejus difficultas, &c. Ratio, quod sola sufficiat, est; quia hoc ipsum periculum violandi, magna-

quæ difficultas, quæ ab iis Doctoribus requiruntur, regulariter interveniunt, vel timeantur in eo, qui minus voluntarie, per imperfectam pæsumpse deliberationem, votum.

14. Potest autem ejusmodi imperfecta deliberatio tribus modis evenire: Primò, ratione ætatis, ut cum quis in pupillari, vel minus capaci ætate votum emittit, poterit epim tunc votum etiam sine commutationis admissione dispensari. Sic Castr. lib. n. 8. Sanch. l. c. n. 30. & lib. 8. de matr. d. 10. n. 13. Ratio est, quia benignitas est Dei non ita rigide acceptare votum in tenera ætate conceptum, ut nequeant Superiores remittere. Quò autem imperfectior est ætas, eò major erit causa, quia de majore involuntario timeatur.

15. Secundò, cum Sanch. lib. 4. in dec. c. 45. n. 30. Castr. l. c. n. 9. ratione turbatae mentis, ut cum quis ira, tristitia, metu oppressus, imprudenter voverit. Huc facit ex Laym. lib. 4. tr. 4. c. 8. n. 5. facilitas, seu levitas vovendi, ut consuevit esse in fœminis, aliisque timida natura. Ratio est, quia in ejusmodi non omnino voluntariis votis, non est multa affectio ad rem promissam; quare semper adest periculum illa violandi.

16. Hinc, si quid vovisti ob timorem mortis, v.g. naufragij, vel cuiusque alterius mali, dispensationem impetrare citè vales: nam tametsi hic timor non sit incusculs ad extorquendum votum; præstat tamen regulariter, ex Sanch. lib. n. 1. Castr. l. c. n. 9. sufficientem causam dispensationi: quia cum immatura deliberatione sic voveri solet. Dico (regulariter) si enim matura fuit deliberatio, jam non erit ex hoc capite causa sufficiens. Si verò vovisti ex timore incusculs ad extorquendum votum, causâ sine dubio habes sufficientem, ex Sanch. lib. n. 3. imò etiam timor levis fuerit; probabile esse votum tunc non obligare, adeoque non egeret relaxatione, sup. lib. 1. c. 2. n. 3. diximus.

17. Tertiò, ratione erroris, vel doli in causa impulsiva voti. Ita Castr. Pal. l. c. n. 10. (nam si sit error in causa finali, vidimus supra, cap. 13. quia ratione votum sit irritum) vel in aliqua voti conditione. Ratio est, quia error, vel dolus minuit sine dubio voluntarium; licet faciat admiscendam hic esse aliquam commutationem; quia votum jam supponitur, quod principale, satis esse voluntarium.

Difficultas Notabilis exequendi Votum.

18. Si hæc non fuit prævisa, quamvis non sit tanta, ut bolere possit obligationem voti; tamen ad benignitatem Dei spectat, ut saltem sit causa dispensandi: sic Sanch. Suar. Castr. eos citas l. c. n. 3. Si verò fuit prævisa, refugium aliqui concedere esse causam sufficientem: puto tamen regulariter sufficientem esse; quia semper multò difficilior apprehenditur res, quando ipsa exequitur, quam quando remota providetur facienda. O quoties dum mente, & commotione soli præliamur, in quæque menti obvia pericula quimus; ad quorum tamen primum occursum statim expallescimus, & terga etiam nolentes vertimus!

Dammum temporale: ubi, quid de Eleemosyna?

19. Voti executio tibi causa est damni, vel tui, vel publici, vel tuæ familiæ, &c. sufficienti causa instructus, dispensationem voti petis. Sic Sanch. l. c. c. 49. n. 50. & 51. Castr. l. c. n. 13. & 16. Hinc longæ peregrinationes, austeræ jejunia, si te, vel familiam notabiliter lædant dant sufficientem causam; quia tibi providere, vel familiæ, ad charitatem pertinet, pietatemque. Huc reducitur causa dispensandi in castitatis voto, ne quis castè vivens morbo continuo fortè divexetur, ne familia illustri pereat, ne inimicitia grassentur inter Cives, quando dispensato voto, his malis matrimonio occurrere speratur. Si causa est merè temporalis, ut accidit in dicto morbo, illis tris familiæ conservatione, &c. utpote non omnino sufficiente, semper erit aliqua commutatio admiscenda; sic enim praxi servat sacra Pœnitentiaria. Ita Sanch. l. c. c. 51. & 52.

20. Quid de largæ eleemosyna, datæ ea causam dispensan-